



1028.

410.

1665, 9a

9

10

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO
IN AUGURALIS
JURIDICA

Ad
L. 20. C. de Nuptiis

Quam
ANNUENTE DIVINA GRATIA
DECRETO & AUCTORITATE
MAGNIFICI NOBILISSIMI
AMPLISSIMI JURE CONSULTO-
RUM COLLEGII

In Inclysa ACADEMIA quae ARGENTINAE est
Pro

SUMMIS IN UTROQUE JURE PRIVILEGIIS
ac Immunitatibus Doctoralibus ritè consequendis
solemni publicoque eruditorum

Examini submittit.

EHRENFRIED à Sancti ch!

Zittaviâ Lusatorum

Die 10. Maji.

ARGENTORATI,

Typis JOSIAE STÄDELII, ACADEMIÆ
TYPOGRAPHI.

Anno M. DC. LXV.

*Magnificis, Nobilissimis, maxime strenuo,
Amplissimis, Consultissimis
Viris*

Dnnn. CONSULIBUS,
totiq; **SENATUI** Reipubli-
cæ Zittaviensium,
Patribus Patriæ
gravissimis,

*Patronis ac Evergetis suis gratiosis,
optimis, certissimis*

Disputationem hancce inauguralem

Sacram esse juber

*debitâ observantiâ, animiq;
submissione*

Ehrenfrid à Lanckisch, Zittan.

J. U. Doctorand.



I. N. I.

Lura Romana, præter alia, in hoc præsertim naturalem æquitatem sequi, utiis, qui vel ob ætatem sexumve, ipsi iudicii acumine, aut necessariorum consilio & auxilio destituti sunt; modis omnibus opitulentur & præcaveant ne ætatis sexusve fragilitas in eorundem perniciem pervertatur, ipsa volumina Juris passim testantur & loquuntur: Inter cætera vero & imprimis exemplo esse potest hæc, de qua hac vice, Deo clementer annuente acturus sum, l. in conjunctione 20 C. de Nupt. Cujus difficultates, ut ex voto explicem, visum hoc ordine progredi ut primum ea quæ extra Legem sunt consideraturus; dein etiam ea quæ in Lege ipsa subjecturus & expositurus sim. Quod ut feliciter succedat, faxit Deus!

2. Dico autem extra Legem, quæq; nobis hic consideranda, hæc sunt. 1. Inscriptio, & quidem tam tituli, sub quo Lex hæc refertur, quam legis ipsius: Et 2. dictæ Legis Subscriptio. 3. Tituli rubrica s. inscriptio hæc est:

3. De Nuptiis subintellige contrahendis quâ primo statim intuitu & evidenter satis, legis hujus materia & sedes ostenditur, quod sc. in ea agatur de conjunctione seu nuptiis filiarum contrahendis. Cæterum vocabulo nuptiæ quid significetur & quotupliciter præsertim in jure nostro id accipiatur, quæque ejusdem synonyma sint, cum satis notum sit, nolo circa ea exponenda hic esse operosior tantoque minus, quod jam antea alii laborem hunc præoccuparint, ad quos brevitatis etiam studio B. L. remisisse sufficiat, conferatur C. J. A. 23. ff. 2. th. 2. Wesenb. in π. ff. de R. N. n. 1. & ibi Dn. D. Hahn. Dn. D. Locamm. in not. ad §. 1. Inst. de Nupt. nec non Hodegeta Magnif. Dn. D. Rebhan, præceptor meus ætatem venerandus. pag. 110.

A

4. Addidi

4. Addidi contrahendis; quia in hoc tit. nuptiæ considerantur, non tam ratione personarum, quam potius ratione modi eas contrahendi, qui potissimum consistit in consensu, & ipsorum jungendorum, & eorum quoque in quorum potestate sunt, quibusve hanc reverentiam debent. Qui autem ex verbo hoc inferunt & concludunt, nuptias s. matrimonium in censum contractuum & quidem consensualium referendum esse, illi vel termino æquivoco ludunt, vel elenchum ignorant: Licet enim negari non possit, nuptias, matrimonium passim in jure nostro dici contrahi, ut in *l. si patre. 22. ff. de R. N. princ. l. de Nupt.* Immo disertè ab Imp. nuptiæ contractus appellentur in *Nov. 22. c. 12. in med. v. sed sicut in contractu nuptiarum.* Attamen res ipsa loquitur, quod cum contractus proprie sic dictus hic sit, in quo negotium geritur commercii causa. *l. 14. ff. de Precar. Ant. Faber. 7. conject. 14. nu. 7.* & ex quo obligatio ad dandum vel præstandum quid, quod in commercio est, nascitur. *l. 3. pr. ff. de O. & A. h. e. rem promercalem,* talis res in nuptiis s. matrimonio contrahendo penitus cesset, quippe quod venalitium nec est, nec esse debet; amor enim conjugalis & honestus ex solis animis æstimandus *l. 2. l. 3. ff. de Donat. inter vir. & uxor. Schneidevv. ad pr. Inst. de Nupt. num. 58. Beust. de matrim. p. 2. c. 34.* quamvis dum dicitur consensus nuptias facere. *l. 30. ff. de R. l. facile concesserim* in hoc nuptiarum tractatus, contractus imitari, & hætenus improprie contractum matrimonium, contractæ nuptiæ dici possint. vid. *C. J. A. t. 23. ff. 2. th. 25. n. 1. Dn. D. Bicc. in aureis lect. 1. th. 11. Dn. D. Rebhan. in Hodegeta Jur. p. 440.*

5. *Inscriptionem Legis nostræ quod spectat, illa hæc est: Impp. Honor. & Theodos. A. A. ad Theodorum, Præfectum Prætorio.*

Quæ ipsa ostendit & causam efficientem principalem, sive Auctores hujus Constitutionis, & Instrumentalem sive ad quem fuerit data, ut publicaretur & omnibus innotesceret. Illi sunt Impp. Honorius & Theodosius AA.

6. Fuit Honorius, Magni Theodosii Imp. hujus nominis filius, Arcadii Imp. frater: quos pater non tantum ante mortem, Imperii consortes effecit, verum etiam testamento inter eos Imperium

Imperium divisit, ita ut Arcadio Orientem; Honorio v. Occidentem, illi nato 18. annos, huic vero adhuc impuberi & vix 10. annos nato: unde etiam passim in Jure cum adjecto N.P. legitur, attribuerit, quamvis Honorium demum anno 393. Augustum renunciatum fuisse, Historici, circa hoc tamen veriantes, tradant, laudatur Princeps benignus & imprimis in Pietatem & Religionem Christianam propensus, quod etiam varia ejusdem Edicta, quibus idem consultum voluit, cum hac ipsa nostral. 20. comprobant:

7. Theodosius II. Imp. Arcadii Imp. filius fuit, quem Pater adhuc superstes in consortium Imperii adscivit feliciter; mortuo v. eodem cum patruo Honorio Imp. annos viginti & ultra regnavit; post cujus obitum Valentinianum, amitæ suæ, ex Constantio filium Cæsarem fecit, & cum Augusta matre, ad recuperandum occidentale misit imperium, atq; eorum per 27. pene annos imperium administravit. Princeps fuit piissimus & imprimis ex Codice sub felici sui nominis appellatione composito, in quo Constitutiones Imp. à Constantino Magno Imp. usq; sua tempora editæ continebantur, satis celebris. De quibus videri possunt Cuspinianus, Betavius, Helvicus, Ioh. Cluver. & alii.

8. Describuntur hic & Dignitatis & auspicii titulis, Imperatores, Augusti: Et quidem Imperatores dicti ab ipso imperandi officio. Quamvis in Republica Romana significatur non tantum à vulgari imperandi vocis usu, semper peculiari & pene proprio: verum etiam in hoc diversimodè. Uti videre est apud Linnæum 2. l. Publ. num. 1. & seqq. Buchner. in thesaur. latin. v. Imperator. Briffon. in Lexic. jur. verb. Imperator. Pichard. ad princ. proæm. Instit. n. 3. & hinc usq; ab Octaviano Imp. qui quintum Consul, primus Imperator appellatus est, non quidem eo sensu, quo jam antea vicies appellatus erat ob victorias ab hostibus diversis vicibus reportatas, Dio lib. 53. & 55. sed quo summam Reipubl. in perpetuum penes eum esse demonstraretur. Dio d. lib. 52. Gabriel Trivorius observat. apolog. c. 4. n. 2.

9. Augusti Appellatio pariter desumitur hinc usq; ab Octavio (qui primus cum septimum Consul fuisset, id accepit. Gabr. Trivor. d. l. n. 4.) in reliquos Imp. Romanos translata, illis so-

lemnis mansit non tantum voto hoc, ut Imperium augeant, secundum Accurs. & Dd. communiter, unde nostrum, allezeit *Weyer des Reichs*: Verum etiam quod omnibus sit sanctus & propter Majestatem reverendus. Limnæus. 2., J. P. 1. n. 32, add. Ovid. 1. Fastor.

*Sancta vocant Augusta Patres: Augusta vocamus
Templa Sacerdotum, ritè sacrata manu
Hujus & augurium dependet origine verbum,
Et quodcunque sua Iupiter auget ope.*

10. Causa instrumentalis, sive per quem Imp. hanc suam Constitutionem publicari, & ad usum transferri voluere, est Theodorus, qui à Magistratus officio, quo tunc defungebatur, describitur, quod fuerit Præfectus Prætorio: Cujus etiam in l. 11. C. de Episcop. audient. l. 1. C. si Nupt. ex Rescript. & l. 20. C. de postlim. revert. & passim in jure fit mentio, nec non in Cod. Theodos. Tit. de Hæret. l. 45. & l. 46. & quidem cum indice quod diversis vicibus Magistratu hoc defunctus sit: Potestati Præfectorum Prætorio nulla dignitas æqualis utpote quibus ab Imp. & rerum & judiciorum summa commissa erat, iudicabant, vice sacra, h. e. Imperatoris & quidem pleniore ad disciplinæ publicæ emendationem licentia, ita ut ab eorum sententia non poterat appellari: uno verbo, habebant Imperium sine purpura: unde etiam Constitutiones Principum ipsis omnium primum insinuantur, quibus cum autem hodie in Imperio Præf. Prætorio sint comparandi & quotuplices fuerint, quæq; illorum Dignitas, potestas & officium videre est apud Interpp. ad t. ff. & C. de Off. Præf. Prætor, Petr. Faber. 1. Semestr. 1.

11. Quo ipso etiam apparet, Constitutionem hanc, nullatenus rescriptum esse aut Decretum sed Edictum generale, sive ut vocatur l. 6. C. de secund. Nupt. Lex Edictalis per totum Romanum Imperium observanda; Cura enim salutis publicæ superioribus seculis, solis Imperatoribus curæ erat, qui etiam, quæcunque videbantur publice utilia & necessaria proprio motu constituebant, pr. J. de J. N. G. & C. l. 3. C. de LL, l. 1. §. 1. de Constit. Princ.

12. Sub-

12. Subscriptionem quod attinet ea quidem pariter ad Constitutionum externa pertinet, utpote ex qua cognoscere licet, & locum quo hæc vel illa Constitutio data, quoq; die & anno & quibus Coss. verum cum hæc Lex nostra subscriptionem plane nullam habeat, hætenus operam hanc circa illam lucravimus: si tamen conjecturæ locus, eodem cum l. 1. C. si nupt. ex Rescript. pet. anno promulgatam puto, ceu quæ eosdem Imp. Auctores habet, & eundem cui insinuata Præt. Præfectum Theodorum: & in qua pariter etiam de nuptiis contrahendis agitur, sita quodcunq; sit, nullatenus tamé dubitandum, Constitutionem hanc Legis generalis vigorem habere, per Constit. Hæc quæ § 2. C. de Nov. Cod. fac. & Constit. summa Reipubl. §. 3. in med. C. de Justin. Cod. confirm. Gothofred. ad l. 4. C. de divers. Rescript. in not. lit. f. Qui autem factum sit, ut nonnullæ Constitutiones subscriptione careant, causa & ratio certa dari non potest: quibusdam enim tales leges, præsertim Edictales, videntur plura habuisse capita, quæ postea in Compilatione Codicis Justiniani singula ad certas suas sedes & titulos, sed sine subscriptione fuerint relata: Alii putant, Leges Codici Justiniano insertas fuisse, quemadmodum Compilatores easdem in Codicibus Hermogeniano, Gregoriano & Theodosiano scriptas invenerint, cum, & sine die & Consule, alii Imp. Justiniano in crimen vertunt, qui ut tanto securius sub ipsorum Principum auctoritate, eorundem Constitutiones immutare & plane aliam illis mentem affingere posset, studio subscriptiones, ne hoc ejusdem commentum facile deprehenderetur, detruncasse. Confer. Contrius 1. lection. 9. Cujac. in observationibus passim. Gothofr. ad Constit. Hæc quæ §. 2. C. de Nov. Cod. fac. lit. f.

13. Atq; hæc strictim de legis hujus externis, quæ ideo præmittere volui, debui, ut quilibet novisse possit, legem hanc non privato alicujus ausu, & sine auctoritate Imperatoria Codici Juris Justiniani insertam, atq; ita suppositivam esse, consequenter ad decisionem causarum contingentium induci non posse: sed eam certam, justam & legitimam esse: Imprimis vero ut ea quæ in d. h. l. 20 videntur difficilia, ex legibus horum Imp. aliis, tanto expeditius explicari possint.

A 3

14. Sequuntur

14. Sequuntur nunc legis hujus Interna, sive Constitutio ipsa, quæ uti à Compilatoribus refertur, hæc est.

In Conjunctione filiarum in sacris positarum patris expectetur arbitrium. Sed si sui iuris puella sit intra quintum & vicesimum annum constituta, ipsius quoque adsensus exploretur. Si patris auxilio destituta: Matris & Propinquorum, & ipsius quoque adultæ requiratur iudicium. Si vero utroque orbata parente sub Curatoris defensione constituta sit, & inter honestos Competitores oriatur forte certamen, ut queratur cui potissimum puella iungenda sit: Si puella cultu verecundia propriam noluerit voluntatem depromere coram positis propinquis, iudici deliberare permissum est, cui melius adultæ societur.

15. Quam Legis hujus Lectionem undiq; integram & eandem deprehendi in omnibus quæ mihi conferendæ & inspiciendæ venere editiones, adeo ut in nullo plane verbo eandem variantem notare potuerim: Consequenter uti hæc Lectio vera & genuina est; ita quæ Impp. in eadem mens, & quid constitutum voluerint, intellecta tanto facilius: Cum vicissim ejus quod multipliciter legitur & intelligitur, veritas plerumq; ignoretur.

16. Quia autem eadem etiam nonnullos terminos, phrasas, verba continet, quæ vel ambiguitate, usq; non omnimodo expedita sunt, sed uberiorem sibi depostulant Explicationem, ideo ne æquivocationes tales nos in errorem aliquem seducant, præcipua illustraturus & expositurus.

17. Inter illa autem omnium primum occurrit vox, Conjunctio quo communi nomine per synecdochen generis Impp. h. l. pro proprio & ita per Excellentiam utuntur, sive pro conjunctione matrimonii l. 38 §. 7. ad L. Jul. de adult. sive pro nuptiis quæ sunt conjunctio maris & sceminae, individuum vitæ Consuetudinem continens § 1. Inst. de p. p. atq; sic in l. 11. de Stat. Hom l. 77. §. 1. ad Scrum Trebell. Conjunctio filiae, & filia conjuncta dicitur in l. 10. ff. de Condit. & Demonst. Confer. Lexicographi h. voc. Conjunctio. Derivatur à verbo conjungere, unde etiam conjugium, conjuges dicuntur, quasi uno jugo conjugati, sumpta metaphora à bobus eidem jugo subditis & alligatis.

18. Sequi-



18. Sequitur, Filiarum. Filia, filia æque ac Filius definiuntur, quod sint, qui quæve ex viro & ejus uxore natus, natave. l. 6. ff. de his qui sui vel alieni jur. aut adoptione quæsitus quæsitave l. 1. ff. de Adopt. Filiarum autem appellatione hac lege & alibi, duntaxat generis fœminini, non etiam masculini, liberos contineri, patet ex l. 45. ff. de Legat. 2. ubi Jctus, fœminino vocabulo etiam masculos contineri, exemplo pessimum esse dicit. Unde autem filius filia dicatur & quōtupliciter alias accipiatur videre est apud Martini. in Lexic. philolog. v. filius. Taubmann. in Amphitruo. act. 1. sc. 1. n. 274.

19. Sequitur in sacris positarum h. e. in potestate patria & familia aliqua, quæ improprie & metaphorice sacra dicuntur, quod idem Epitheton etiam de aliis e. g. Magistratu superiori prædicatur, quia potestatem à Deo habent dicuntur sacri, & sacra quæ ab iis proficiscuntur, ita quoq; potestas parentibus in Liberos concessa inter sacra recensetur, quia Jura Patris nexu divino sunt copulata, de quo sacrorum genere hinc inde in Jure nostro legitur & sacra paterna pro potestate patria ponuntur l. 10. §. 1. C. de Adopt. l. 12. C. de Collat. l. ult. §. ult. C. de inoffic. testam. l. ult. pr. C. de Curat. fur. & ibi prolixè in not. lit. p. l. 1. f. C. de annual. Exc. dicuntur quoq; sacra familiæ quasi leges familiæ l. 11. C. de Donat. Conf. Magnif. Dn. D. Rebh. in Hodeget. p. 201.

20. Sui Juris. Dicuntur proprie omnes illi qui in potestate dominorum & parentum non sunt, sed suæ potestatis facti t t Inst. de his qui sui vel alieni pr. in fin. Inst. quibus non est permitt. fac. testam. l. 12. ff. de his qui not. infam. l. ult. ff. de Liberali. caus. l. 22. ff. de R. N. §. 2. Inst. de Scto Tertyll. Novell. 12. c. 2. Novell. 118. c. 1.

21. Obveniunt in textu Vocabula. Arbitrium, Adensus, Judicium, quæ consensus personarum quæ consentire possunt denotant: Significat autem arbitrium nihil aliud, quam Libertatem arbitrandi in rebus suis & voluntatem ratione regulatam l. 1. ff. de solut. rerum quippe suarum cuique Liberum permittitur arbitrium l. 21. C. Mandati nisi propter utilitatem publicam aut alias quasdam causas quæ in Jure obviæ sunt l. 49. §. pen. & ult. ff. de Legat. l. §. 4. Inst. de Legat. l. 13. §. 17 de act. Empt. §. 2. Inst. de



Inst. de his qui sui. l. 2. ff. Eod. §. ult. Inst. de Donat. l. 1. C. d. commun. serv. manumit. l. 12. de Religios. l. 51. §. 2. ad L. Aquil. l. 2. C. ut nem. lic. in Empt. spec. se excul. 10. 21.

22. Adensus ponitur pro facultate admittendi, aut prohibendi actum qui in Deliberationem venit & idem significat ac consensus quæ filia in negotio tali à parentibus requirere debet.

7. Judicii vocabulum quam varie accipiatur ostendit Alexander Scot. I. Ctus & quidem I. pro casu fortuito cum dicitur (hoc divino judicio venit) II. pro animi Discretionem quatenus §. præterea Inst. quib. non est permitt. fac. test. dicitur in pueris non esse Judicium. III. Pro actione, ut Judicium familiæ Ereisc. IV. Pro ultima voluntate testatoris l. 21. C. famil. Ereisc. V. Pro Judicio vel sententia Judicis l. 1. C. de Re Jud. VI. Pro Examinatione vel Deliberatione quæ h. l. intelligenda venit.

24. Propinquorum terminus aliquando generalis est & quoscunq; sive per mares sive per scæminas conjunctos denotat, sive naturali sive civili Jure. l. 1. §. 1. & §. 4. ff. unde Cognat. l. 4. §. 1. de Grad. speciale autem cum per lineam maternam conjunctos comprehendit, qui cognati, per lineam paternam qui easdem Imagines & insignia habent, agnati vocantur, qui inter se differunt ut genus à specie, omnis enim qui agnatus est, & cognatus est sed non contra l. 10. §. 2. & 4. ff. de Grad. quemadmodum Imperatores constituerunt propinquos minores 25. annis propter Lubricum & Inscitiam ætatis, propinquis senioribus, in Educatione propter necessitudinē & affectionem naturalem quam erga minores habent, ex temeritate & juvenili Intemperantia delinquentes, à turpitudine revocare, eosq; jure patrio corrigere & privata animadversione reprehendere liceret per tit. Cod. de Emendat. Propinq. Ita quoque hac lege 20. de ineundo consilio matrimonii propinquos non in ultimis habendos vult, si liberi parentum auxilio destituti aut orbatu fuerint quo tutius jacturam obfuturam effugiant.

25. Defensio Curatoris. Per Defensionem hic intelligendum est jus quod Curatores accipiunt in bona minorum, ut iis benè præsent ac defendant in modum Tutorum qui personis cum bonis dantur, quos & hodiè ut plurimum Curatores imitantur, ut

9.  9. 
tur, ut Tutores dati etiam Curatores sint, & jus civile ea quoque
quæ de Tutoribus statuit ad Curatores refert *Cypr. de matrim. cap.*
6. §. 16. n. 4. & ex generali quadam ac ubiq; locorum recepta Con-
suetudine ii qui semel legitimi tutores dati sunt, iidem etiam cu-
ratores permanent & minoribus ad 25. usque annum præsent.
Gail. 2. Obs. 96.

26. Competitores dicuntur hic qui in una eademque
virgine expetenda, matrimonio habenda, concurrunt & quasi si-
mul petunt. sive scientes sive ignorantes, in modum eorum Com-
petitorum, quorum mentio fit in Digestis ubi plures concurren-
tes in petitione ordinis Decurionatus dicuntur Competitores *l. 3.*
§. 2. de Decurionibus.

27. Cultu verecundiæ. Verecundia significat hoc lo-
co pudorem recti & honesti aut modestiam, idem ac verecunda
cogitatio de re licita cujus *l. 4. §. un. de alien. iud. mut. causa.* fit
mentio, inde Tertulliano autore, fæminæ non modo Religionis
sed verecundiæ quoq; causa caput & faciem velabant quod vela-
men pro galeâ illis esset, idem hodiernum adhuc in usu esse obser-
vamus, hæc omnibus inesse debet mulieribus. *l. 1. §. 5. de postul.*
non tamen ita ut fæminæ in causa licitâ decenter verba facere sit
prohibitum, aut aperte in medium allegans quod è re est verecun-
diam exuisse dicatur, sed posse complere verbis, id, quod in filia
h. loco, propter nimiam verecundiam deficit, ut res de qua agen-
dum, finem suum consequatur & innotescat.

28. Specialia pertractantur tum in quæstione: Quorum
nimirum consensu in nuptiis puellæ requiratur? Resp. Paren-
tum, qui optimè liberis suis consulere præsumuntur *c. est pro-
banda 16. dist. 86.* Amoris n. qualitas quæ naturaliter inest, sem-
per inesse præsumitur, quorum jussui merito obsequendum *l. 22.*
ff. de R. N. quibus persona patris semper honesta & sancta esse de-
bet *l. 1. l. 2. l. 9. de obseq. præst.* secus facientes legitimas nuptias
non contrahunt quod tamen ut faciant obligantur.

29. I. Jure divino. Gen. 2. v. 22. & c. 21. v. 21. c. 24. &
21. Exod. 20. v. 12. & c. 22. v. 16. 17. c. 34. v. 16. Num. 30. v. 4. 5. 6.
Deut. 5. v. 16. & c. 7. v. 3. 4. Jud. c. 14. & 21. v. 7. 2. Sam. 13. v. 13. Prov.
c. 1. v. 1. c. 6. v. 20. Jerem. 29. v. 6. Tob. 6. v. 13. 1. Corinth. 7. vers. 36.
B Ephes. 6.

Ephes. 6. v. 1, 2, 3. Coloss. cap. 3. v. 20. à quibus neminem ex corda-
tioribus dissentire cognoscimus.

30. II. Ipsa natura suadet, ut liberi parentibus à quibus
tanto labore ad illam usq; ætatem educati sunt quo matrimonium
inire licet, pareant *l. 2. ff. de l. & l. l. 6. de in ius vocand. l. Liberi*
28. C. de inoff. test. Cypr. in tract. de Sponsal. cap. 6. §. 1. n. 2. adhæc
elegantem discursum movet *Gothofr. in not. lit. b. ad L. 25. ff. de*
R. N. ibi: Liberos minores 25. annis nunquam impunè nuptias
inisciis parentibus contrahere, quippe semper præsumitur paren-
tes optimum & soluberrimum pro Liberiis consilium capere l. 22.
§. 4. ff. ad L. lul. de Adult.

31. III. Idem à multis seculis apud omnes peræquè Gen-
tes observatum fuisse Euripides in *Andromacha* introducit puel-
lam *Hermionem* ad *Orestem* pro cum suum verecundè ac præcla-
re loquentè cuius verba hæc sunt: *Sponsaliorum meorum pater*
meus curam subibit: non est enim virginalis pudoris eligere ma-
ritum c. honorantur. 32. quest. 2. Simo apud Terent. in Andria
act. 5. se. 3. acriter filium suum Pamphylum objurgat quod præter
voluntatem patris amasiam suam habere studeat. vid. Alberic. Gent.
de Nupt. lib. 4. c. 6.

32. IV. Cui nec unquam reclamavit Jus nostrum civile
quod notius est quam ut ignorari possit *l. nupt. 2. l. filius fam. 35.*
ff. de R. N. l. si ut proponis 6. l. nec filium 12. C. de Nupt. quippe
quod nulli suum heredem agnasci vult § 7. Inst. de Adopt. l. Pau-
lus 11. ff. de Stat. hom. l. oratione. 16. §. 1. de R. N. l. 1. ff. de obseq. parent.
& patr. præst. Nov. 115. c. aliud quoque §. si alicui 11.

33. V. Quamvis multi sint qui asserunt Jus Canonicum
hac in parte dissentire, reperimus tamen contrarium *c. vidua. 27.*
quest. 1. c. aliter. c. nostrates c. qualis. 30. quest. 5. c. non omnis. §. fin. c.
honorantur. c. mulier. c. hoc sanctum. 32. q. 2. c. tria legitima c. placuit fin.
36. q. 2. c. tua. 25. de Sponsal. & matrim. c. 1. de Desponsat. impub. c. vide-
tur. qui matrim. accus. poss.

34. VI. Cum itaq; videamus Jurium horum tantam esse
harmoniam, nullum dubium restat quin consensus paternus in
copulandis Liberorum nuptiis tam de Necessitate quam de hor-
nestate requiratur. Testatum hoc faciunt Theologi *Luther. Li-*
bell. de

*bell. de conjug. Heerbrand. in compend. Theolog. Philip. Melanchroni
in Loc. comm. t. de conjug. Chemnit. Andr. Osiander aliique quam
plurimi.*

35. De Jure Saxonico itidem parentum potestatem in
Liberos illibatam reperimus & adhuc in ejus foro robur obtinet
suum, *gl. Lat. ad text. Landr. lib. 1. art. 31. lit. f. & gl. Lat. ad text.
Landr. lib. 3. art. 45. lit. d. quo facit Constit. Elect. 10. p. 1. Ordinac.
Elect. tit. von Ehesachen fol. 109. §. wo aber zwen Persohnen / re.
Beust. de Sponsal. cap. 26. Petr. Heig. 1. quest. 22. ubi refert non
tantum in Cellensi Lüneburgens. sed & Saxoniae Electorispro-
vinciis ita constitutum esse, August. Elector. Reformat. Anno
1582. tit. von Ehegelübduessen §. wann aber: Sponsalia clandestina
inter personas parentibus destitutas in praesentia unius tantum
testis contracta non subsistere, nisi contrahentes in praesentia bo-
norum hominum talia reiterent & denuo repromittant *d. quest.
22. num. 33. ubi & hoc notatu dignum, quod etsi nonnulli hasce
Constitutiones de eorum tantum Sponsalibus qui sub potestate
sunt, intelligendas opinentur, id tamen veritati minimè conten-
taneum esse exinde praesumitur, quod textus citatorum autorum
in genere de personis parentibus destitutis aut orbatis intelligen-
di sint, nulla inter eos qui sui vel alieni Juris distinctione adhibi-
ta, quo facit Constit. Saxo Coburgica von heimlichen Ehegelüb-
duessen §. 1. Sed quorum cunq; qui nullos aut non sufficientes te-
stes in celebratione non adhibuerunt, Carpzov. Jurispr. consist.
lib. 2. def. 33. in qua ad minimum duo requiruntur l. ubi numerus
12. ff. de testib. cap. quoniam contra X. de Probat. Petr. Heig. quest. 22. n.
50. Deut. 17. v. 6. c. 19. v. 15.**

36. Propinquorum quoq; consensum non negligendum
dictum in Resolutione terminorum thes. 24. Utrum autem Cu-
ratoris consensum requirere debeat minor? in controversia est,
Quamvis de Jure civili manifesti Juris sit Curatoris consensum ad
Sponsalia filiae curandae non requiri per l. 8. C. de Nupt. & l. 20. ff.
de R. N. Communiter tamen in partem affirmativam inclinan-
dum videtur propter utilitatem inde provenientem, praecipue si
puella sit 18. annis minor *Beust. de Sponsal. cap. 21. ver. notand. &
deficientibus propinquis quibus res committi possit, h. m. Liber-*



tas matrimonii potius melioratur quam minuitur, quam sententiam quoque probat *Cyprus per hanc l. 20. h. l. un. C. si. Reſtor. provinc. in verb. quod Parent. Tutoribus aut Curatoribus. l. ſi mulier. 5. C. de Sponſal. ibi. ſi per Tutorem aut Curatorem arrhas acceperit, & diſtinguendum putat d. Cypr. c. 6. §. 10. n. 3. Puellam propinquorum & Curatorum Iudicium in Sponſalibus contrahendis requirere non aſpernari debere, interim tamen conſenſum puella liberrimum eſſe nec ei imperare poſſe Curatores ut huic vel illi nubat & niſi ita accipiatur iniquiſſimam eſſe Legem Gordiani in copulandis S. C. h. quæ Curatorum auctoritatem excludit, quod cum naturali Jure & gentiũ Legibus pugnat, de quo manifeſtè *Carpzov. Jurispr. Conſiſt. lib. 2. def. 47. n. 11.* Et quia in Tractatione externorum dictum eſt, Leges Codicis priores per poſteriores nonnunquam corrigi, quid impedit quin dicamus *l. 8. h. t. per l. 20.* eſſe emendatam. Præterea in deligendo marito maximum eſt momentum vel ad miſeriam vel ad felicitatem, ubi prudentia quæ longo rerum uſu acquiritur, deſideratur, quæ cum in Juvenibus exigua ſit, ratio poſtulat ut ipſi aliorum conſiliis regantur, quo facit quod in aliis contractibus ſine Curatorum auctoritate ſe obligare non poſſint, æquius in conjugio ineundo quod maximi momenti res eſt. *Gerhard. in loc. de Conjug. §. 94. pag. 169.* cum quibus conveniunt *Conſiſt. Saxon de Anno 1616. verbis die jenigen Perſohnen derer Eltern verſtorbe/ ſoll e ſich mit der Vormunder oder wo die nicht vorhanden mit ihrer nechſten Blutsfreunden Vorwiſſen und Rath verheyrathen.* Curatorum quoq; intereſt curandas & eorum bona bene collocari propter beneficium Reſtitutionis in integrum quod curanda habet ſi bona jacturam patiuntur, contra Curatorem, quod non ſollicitus fuerit de bonis melius collocandiſt. *t. C. ſi Tut. vl. Curat. non geſſerit.**

37. Si itaq; filia adhuc in poteſtate parentum eſt poſita, neceſſario eorum conſenſum in contrahendis ſponſalibus expectat, quæ adhuc hodie conſtans eſt ſententia tum Theologorum tum Jctorum, quam etiam obſervantia comprobat & teſtatur. I. Propter univerſale præceptum Decalogi, Honora Patrem & Matrem. 2. Propter particulare præceptum populo Judaico à Deo datum *Deuter. 6. 7.* quo prohibentur Judæi filias ſuas filiis Cananæi

Cananæi dare in connubium, aut filias ipsorum accipere filiis suis in uxores, unde liquet, quod Deus ipse commiserit potestatem contrahendi matrimonia parentum pietati, alias summus ille parentum Patronus præcepisset Liberis ne acciperent filias alienæ gentis. Item. *Num. c. 3. v. 5. 6.* Mulier quæ est in domo patris sui, si se constrinxerit Juramento, & cognoverit Pater votum & tacuerit, voti rea erit, si autem statim contradixerit pater, vota & Juramenta irrita fient. 3. Jure Civili res expedita est *pr. Inst. de Nupt. l. 2. ff. de R. N. l. 1. C. de Nupt. & passim in iure & hujus Dd. atq; Interpp. ut Balduin. Heig. Vult. Mauser. Boreholt. Duaren. Donell. Connan. Coras. Beust. Cypr. Alberic. Gent. Carpzov. & alios, quos merito in hoc sequimur.* 4. Per argumentum ab absurdo & inconvenienti, si enim nuptiæ sine consensu parentum contractæ valerent, sequeretur, quod quilibet scurra posset honesti alicujus viri filiam quasi furari, eamq; decipere, quod valde absurdum & inconveniens foret, ita frenum laxare, ut dehonestentur aut infamentur familiæ, quales petitores potius infamiæ castigatione quam filiarum acceptione digni censendi sunt: *Dn. D. Bechstad. in Tractat. de Condit. Sponsal. part. 1. c. 2. th. 17. p. m. 21. & seqq.*

38. Quid vero Juris si patre adhuc superstiti personæ se Juramento obstrinxerint? *Resp.* Si Filia minor viginti quinque annis, merito parentum arbitrium requirere debet, Sæctum enim vult Imperator noster patriam auctoritatem inter Liberos ut si sine eius applausu quid præsumant in iis negotiis ubi tum poenitere non licet ut filia licet vidua facta, veletiam emancipata ad secunda vota sine eius consensu non procedere possit *l. 18. C. de Nupt.* Nec propter Juramentum interveniens Sponsalia rati habere tenentur quæ clandestinè acta sunt: *Numer. c. 30. v. 5. Exod. c. 22. v. 16. 17.* Quicquid itaque Jure divino non obstringit multo minus Jure civili & merito actus talis infirmatur in poenam eorum, qui Legis Jussioni adversati sunt, modo alia non eveniat causa propter quam parentes consentire nolunt, duri enim nunquam sunt & occasionem liberis quærere nolunt.

39. Tali in casu Filia si major 25. annis, contradicentibus etiam parentibus valida contrahit Sponsalia *l. qui liberos 9. ff. de R. N. c. sufficit 27. quest. 2. Nov. 115. c. 3. §. 11.* Secus tamen, si parentes alio-



tes alioqui Liberis quæsiuissent commoda conjugia *ex. d. Novell.* merito ipsis servatur cultus debitus, aut si jam à liberis contracta sint, postquam cognoverint non tacuerint, sed expresse impugnaverint *d. c. sufficiat. l. 5. C. de Nupt. l. 11 § ult. l. 12. l. 13. ff. de his qui not.* non existimandum Liberos hoc medio parentum auctoritatem postponere posse, quantumvis alia dissensus causa deficiente, nulla & irrita redduntur ejusmodi Sponsalia ut post *Carpzov. in Jurispr. Consistor. l. 2. l. 3. Def. 58. bene sentiunt Joachim. à Beust. in tractatu de Jure Connub. part. 2. c. 48. Bidembach. in prompt. connub. in appen. c. 1. q. 1. p. 519. Job. Harppr. in pr. Inst. de Nupt. num. 134. & seqq. Bocer. class. 1. disp. 9. th. 15.* Quibus in casibus præcipue Theologos intervenire debere, non quidem ut Legem ponant iis qui in casu tali decidere debent, ut secundum Paulum *1. Corinth. 7.* de matrimonii casu consulti conscientias erudiant, ne forte filia hoc modo persuasione inducta gravatam conscientiam propterea putet, si postea non rata habeantur ea, quæ ante clam, acta fuerant. *D. Kling. ICtus in Enarrat. Justin. ad tit. de Nupt. p. m. 49.*

40. An autem concubitu interveniente dissensus parentum tantum operetur ut in nullitatem recidant Sponsalia? Resp. videtur affirmando propter Leges absolutè latas *l. 2. l. 9. ff. de R. N. §. si adversus 12. Inst. de Nupt.* Secus enim si statueremus omnibus vitiis fenestra aperiretur ut ad miniculo concubitus consequerentur quod alias jure erat vetitum & illicitum, ac miseri parentes sic irrisi pejore loco essent quam persona vitiata, & minime talibus in casibus attendendum Jus Canonicum quod hoc modo Liberis peccandi materiam præbet dum potestatem parentum infirmat, & contra Lex semper honesta esse debet *c. erit autem dist. 4. c. sana dist. 9. l. 1. l. 2. ff. de LL.* Unde vim Legis obtinere non potest, sed vitiata sibi imputet quod contra manifestam prohibitionem, consuetudinem habuerit, ita ut ignorantiam paterni dissensus prætere non possit, nec læsionem allegare, damnum quippe quod quis sua culpa sentit, non sentire videtur *l. quod quis d. R. 1.*

41. Rectius tamen quo conscientis bene consulatur pleriq; Magistratus Evangelici Sponsalia sine consensu parentum contracta accedente copula carnali, per benedictionem Sacerdotalem consummanda contrahentibus injungunt, si cum manifesta

nifesta de virginatae injuria separatio fieret & quo majora scandala evitentur. *Beust. in tract. de matrim. c. 47. Ioh. Schneid. ad tit. Inst. de Nupt. part. 2. num. 35. Gerhard. in loc. de Coniug. §. 146. Petr. Heig. in pr. Inst. de Nupt. n. 28. Cypr. de Sponsal. c. 10. §. 10. Ioh. Harpp. pr. Inst. de Nupt. n. 122. & seqq. Ordinatio Elect. Saxon. de Anno 1624. puncti 1. §. Burden auch solche Persohnen. Et multa quae fieri non debent si facta fuerint non rescinduntur l. 1. §. biduum. 5. ff. quando appell. sit l. relegatorum 7. §. ad tempus 4. ff. de interdictis & Releg. l. 1. §. 1. ff. de Feriis. l. quid ergo. 13. §. poena. ff. de his qui not. infam. itaq; injustum matrimonium etiam est matrimonium l. si uxor. 13. §. 1. ff. ad L. lul. de adult. quod tamē non impune ferunt. *Carpzov. Jurispr. Consist. Def. 61.**

42. Circa hæc moveri posset an in causis matrimonialibus recte utamur canonum autoritate, cum notum sit canonistas non æquè matrimoniis favere! Resp. Nos non semper & absolute uti in causis matrimonialibus decidendis Jure Canonico, sed tantū in casibus qui in Novo Testamento decisi non reperiuntur quod Jus novi Testamenti Canonibus non cedit. *c. sunt quidam 25. q. 1. & utimur quoque Jure Canonico ideo, quia Cæsar cui subditi sumus & cui tenemur parere, seipsum & nos in causis matrimonialibus ei subjecit, ad quod accedit quod jus usitatum & multis seculis ex longissima experientia introductum, observatum sit. Pugnatur autem cum novi testamenti Jure in matrimoniis Sacerdotum, in cæteris casibus non sine controversiâ, quæ matrimonia sacerdotum tum de Jure N. T. tum veterum Canonum, tum Conciliorum antiquorum Can. 4. Concil. Gangren. Can. 3. Concil. quinti Carthaginensis Nicæna, licita sunt, sicuti quoque Exemplis Scripturæ S. probatur per Paulum, 1. Tim. 16. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris virum, asseritur, add. *Matth. 8. c. non omnis 12. c. 32. q. 2. in verbis igitur cuiuslibet loci Clericus si filiam suam & c. 6. deinde ponitur 3. dist. 2. c. si quis propter 4. & c. si quis 12. dist. 39. c. nuptiarum 41. 27. q. 1. c. si quis 14. dist. 28. c. si quis vir superat 8. c. quoniam 13. dist. 31.* Quod hodiè in papatu mirum in modum invertitur cum affirmant Apostolum per jam dicta significare. Episcopum non debere nisi unum habere Episcopatum & presbyterum itidem unum sacerdotium possidere ad quæ Hieron. ad Oceanum ita differit, quidam coacte interpretantur uxores pro Ecclesiis*

Ecclesiis; viros pro Episcopis debere accipi, & hoc in Nicæna quoque synodo esse decretum à Patribus, ne de alia in aliam Ecclesiam Episcopus trasferatur, ne virginis pauperulæ societate contempta ditioris adulteræ quærat amplexus, & hoc modo fucatè detestantur & perhorrescunt nuptias, per interpretationem verborum scripturæ, de quo uberiores discursus Polyd. Verg. de Invent. Rer. Lib. 5. c. 5.

43. Si vero quæstio formetur: Utrum causa matrimonialis potius ad Ecclesiasticum an ad secularem iudicem pertineat? Responderi posset, quia tractatio matrimonii est Juris privati, videtur spectare potius ad secularem quam Ecclesiasticum Iudicem nam Ecclesiasticæ causæ magis ad publicum quam privatum Jus referendæ l. 1. §. huius studii vers. publ. ff. de l. & l. contra apparet ex Institutionum, Pandectarum & Codicis voluminibus matrimonium inter ea quæ Juris privati sunt tractari. De Jure Canonico expeditum est ad Ecclesiasticum iudicem tantum pertinere. c. multorum 35. q. 6. c. accedentibus 12. de Excuss. Prælat. c. porro. 3. de Divort. Verum cum nostro tempore sancitum reperimus, ut Consistoria in quibus inter alias causas, matrimoniales proponuntur, Ecclesiasticis & Politicis personis consent, dicendum puto & ad Ecclesiasticum & ad secularem Magistratum, pertinere, quod & hodie pro diversitate locorum diversi modè observari videmus.

44. Sed quid si Parentum auxilio destituta? tum Matris & Propinquorum iudicium requirere debet, quæ autem hoc loco patris auxilio destituta dicatur, puto Exempla peti posse ex l. 9. §. 1. l. 11. ff. de R. N. l. 12. §. 3. de captiv. & postlim. In patre ab hostibus capto; Item in absente, qui ubi moretur, ignoretur l. 10. d. l. 11. ff. de R. N. imprimis vero ex pr. Inst. de Nupt. ubi Necessitas adhibendi patris consensum remittitur, in casu quo Pater est furiosus, qui plenius deciditur in l. si furiosi 25. C. de Nupt. l. 28. C. de Episc. audient. Quamvis enim patria potestas furore non tollatur l. 8. ff. de hi qui sui, quia tamen liberi ejusdem consilio uti non possunt, sed auxilio hoc paterno destituuntur vicem eius vel avus si superstes est, vel mater & propinqui, licet in potestate non habeant, sustinent l. si nepos. 9. ff. de R. N. d. l. 20 & d. l. si furiosi 25. C. h. t. quibus deficientibus ex Imperatoris nostri Constitutione Magistratus lo-

us loci major & Antistes sive Episcopus presentibus Curatoribus furiosi parentis adeundi & consulendi sunt *d. l. si furiosi C. h. r. l. tam dementis. 28. C. de Episc. Aud.* Furiosi quippe nulla est voluntas *l. 40. ff. de R. l. comparatur ignorant. l. 16. § Marcellus ff. qui test. fac. poss. absent. & quiescent. l. 2. § furiosus. 3. ff. de Iur. Codicill. l. 124. § 1 de R. l.* Tutores consulendi quia pater h. c. pro mortuo habetur. *Carpzov. Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 3. Def. 47. add. d. l. 12. § 3. ff. de Capt. & postlim. rev. ubi ratio.*

45. Quorum in censum, qui sic parentum auxilio destituti, si quis eos quoque referat. 1. quorum parentes sunt deportati, arbitror eum à J. Regula non aberraturum; tantoque minus quod per §. 1. *Inst. quibus mod. patr. post. sol.* Pater deportatus Civitatem amittat, consequenter etiam patriam potestatem quæ est Jus Civitatis, qui enim hoc amittit, amittit potestatem quoque in Liberos *l. inter pœnas. 6. ff. de Interd. & Releg.* atque ita filius hic sui Juris, videatur jure patriæ potestatis non impediri quo minus proprio consilio uxorem ducat, ita ut etsi postea deportatus, ut fieri potest, beneficio Principis restituatur & cum Civitate simul patriam potestatem recipiat §. 2. *Inst. d. r. l. ult. §. 1. C. de sentent. pass.* ut nihilominus hæc nuptiæ justæ sint & ex his natus in potestate avi nascatur.

46. De Relegatis forte major dubitatio esset, cum hic Jura civitatis retinentur, *l. 14. §. 1. de Interd. & Releg. l. 48. d. pœn. §. 2. Inst. quibus mod. p. p. toll.* verum si contingat ut relegati extra fines patriæ, Civitatis vel Regni exire jussi *l. Relegatorum. 7. §. 17. de Interd. & Releg.* & ubi locorum morentur ignorentur, atque sic liberi revera eorum consilio & auxilio reperiantur destituti, merito etiam justas sine horum consensu contrahere possunt nuptias.

47. Sed quid de Prodigio? Sane cum hic in modum furiosi, bona sua dilacerando & dissipando furiosum exitum faciendo in cura sit agnatorum *l. 1. ff. de Curat. furios.* auxilium hoc suis liberis vix subministrare posse videtur, quippe qui ipsemet necesse habet aliorum auxilio regi: hunc quoque esse casum quo Liberi parentum auxilio destituti dici possunt, nisi abjecto profusionis habitu mores frugales receperit. *d. l. 1. de Curat. furios.* & hæc quoque de liberis paterno auxilio destitutis sufficiant.

C

48. Pa-

48. Patre v. mortuo distinguendum puto utrum filia sit major 25. annis, si major aut ut hac l. 20. dicitur adulta, quæ staturæ suæ terminum jam attigit, qui in completo vigesimo quinto anno consistit, potest se proprio iudicio marito, libero tamen conjugere. d. Nov. 115. c. 3. § 11.

49. Si vero dictum ætatis terminum nondum attigit & filia minor adhuc, merito matris & propinquorum arbitrium requirit ut *f. 1b. 24.* videre licet, non obstante quod §. *famina Inst. de Adopt.* dicatur Matres liberos in potestate non habere, aliud statuendum in hoc casu, textus n. allegatus de ea speciali potestate est intelligendus quæ olim Civibus Romanis in Liberos competebat & potestati dominicæ in servos non absimilis erat, quod jus vitæ necisq; *l. in suis ff. de lib. & posth. l. fin. C. de patr. post.* aliisq; coarctatum & abrogatum est, & ita non immerito servatur quoq; honor matri præstandus, omnibus enim parentibus ex æquo debetur. *l. 6. ff. d. in ius. voc. l. 2. ff. de l. & l.*

50. Ita ut Mater Sponsalia licet contracta dissolvere possit modo in tempore & maturè dissentium suum in sponsalibus, de facto & contra voluntatem suam initis significaverit & contestata sit, lex enim divina de honorandis parentibus patri matrem disertis verbis conjungit, *Exod. 20. v. 12. Deut. 5. v. 16. Matth. 15. vers. 4. Ephes 6. v. 2. Prov. c. 1. v. 8.* Const. Saxo-Coburg. Von heimlichen Verlobnussen § wird er dann/rc. Es soll auch dießfalls die Ehe mit dem unterschied nachgelassen werden / wo nemlich beyde Personen Stands- und Herkunftens ebenbürtig und ausser dieser Überfahung sonst unbescholten und die Eltern ihren dissent nicht zeitlich zu verstehen gegeben / sondern zuviel nachgesehen / dann wosfern der Sohn oder Tochter noch nicht zu ihren verständigen Jahren kömen und sich ihrer Eltern Gewalt nachmals unterwerffen / so sollen diese und dergleichen Umstände / welche den Handel schwerer und bedenklicher machen wahrgenommen und ob die Ehe zulässig oder nicht / vernünftig ermessen werden/rc. Unde à contrario sensu argumentandum. Wann die Eltern ihren dissent zeitlich zu verstehen gegeben vnd dießfalls nichts nachgesehen / daß solche Ehe nicht zulässig.

51. Quod primum saltem in pupillis obtinuisse ex *l. 1. C. de Nupt. postea in viduis d. l. 18. C. h.* Mox in virginibus adultis *l. 20.*

C. h. 10

C. h. t. Herm. Vult. Jurispr. Rom. c. 18. Horom. illustr. quest. 9. Cujac. 3
 Obs. 5. Borcholt. de grad. p. 53. & merito propter lexis imbecillitatem,
 æquum est in tam arduo negotio in consilium trahi illos quorum
 consilio regimur ac quorum industria & labore bona nostra ad-
 ministrantur Duaren. ad. r. Solut. matrim. Beust. de iure connub. p. 1. de
 Sponsal. c. 21. & part. 2. de matrim. c. 49. Mauser. de Nupt. p. 340. Heig.
 quest. 2. & seqq. Ord. Eccles. August. c. 7. rubr. von Ehegelöbnissen ubi
 tam filii quam filia matris consensum exorare debent. add. Conste
 Saxo-Cob. de Anno 1616. von heimlichen Verlöbnissen. Wann
 zwischen Kindern so noch Eltern und ihr vollkommen Alter nicht er-
 reicher haben / heimliche Verlöbnisse vorgangen / müssen sie / wofern
 es anders unter ihnen eine Ehe seyn soll / die Eltern / neben kindlicher
 Abbitte umb verwilligung ersuchen / und alles von neuen gebühlicher
 weise gehandelt und geschlossen werden / oder wird in verbleibung dese-
 sen das heimliche Ehegelöbniß vor nichtig erkent. His iungenda ve-
 niunt exempla Historicorum Liv. lib. 4. Dec. 1. Tacitus. l. 4. Aure-
 lius cupiens sororem Theocliam in matrimonium dare Maximi-
 no Juniori ad Matrem Mammeam totam rem detulit. Et Cyrus
 aiebat se filiam Ciaxaris de consensu & sententia Patris & Matris
 ducere velle. Xenoph. lib. 3. Cyropæd.

52. Quibus non extantibus nec avi aut avia consensus
 negligendus est sub pœna exheredationis usq; ad dimidiam legi-
 timæ aut pro qualitate causæ in totum, quemadmodum in Con-
 sistoriis Saxonis quotidie pronuntiatur teste Schneidevv. h. t.
 Carpzov. Jurispr. Consist. l. 2. Def. 45.

53. Notanter dictum est? Matris & propinquorum ar-
 bitrium requiri patre defuncto qui si consentiunt res est expedita
 & sponsalia robur suū obtinent: si vero dissensus inter eos nascat-
 ur, Matris iudicium merito reliquorum præfertur, parentes enim
 semper optimum de liberis consilium capere & seminis sui ma-
 jorem rationem quam extraneorum habere velle creduntur. c. est
 probanda. 16. dist. 86. præcipue si cum puellæ voluntate conveniat.

54. Si vero diversæ oriantur opiniones inter matrem &
 filiam, ita ut Mater à filia sententia discrepet, Lex nostra 20 tale
 suggerit expediens: provinciæ præsidis super hoc audiendum esse
 arbitrium l. 1. C. Eod.

55. Matre quoq; defuncta in Curatorum autoritate positum esse videtur electionem Competitorum, verum si puella ipsa sit ejus ætatis aut judicii ut voluntatem suam declarare ac de proprio commodo prospicere possit, Curator merito ejus voluntati adstipulatur, nullas enim partes obtinere dispositionem Curatorum aut affinium vult *l. 8. C. b.* sed subintellige si filia libertas sua, secundum distinctionem *l. 1. à Cypræo* datam adimatur. Si in discrepantiâ Electionis cultu verecundiæ voluntatem suam aperire veretur, quæ singulare ornamentum sexus est, id remedii proposuerunt Impp. ut Judex super his audiatur.

56. Ea quæ jam disjunctim proposita sunt conjunctim in aliqua facti specie perstringemus: Dicendum itaq; in hac Constitutione Impp. sancivisse, Theodoro Præfecto Prætorio edixisse, filias in conjunctione matrimoniali necessario uti debere patris consensu *l. 18. C. b.* qui textus civiliter intelligendi, seposita illa antiqua parentum potestate quæ etiam jus vitæ & necis complectebatur & hodie num coercita est *l. 11. ff. de lib. & posth. l. ult. C. de patr. pot. l. 5. ff. de L. Pomp. de Parr.* patria enim potestas in pietate potius quam atrocitate consistere debet, eatenus si parentes de commodis conjugii liberis prospicere nolint, ut ipsimet liberi honesta matrimonia contrahere aut eligere, aut vi Magistratus expectere possint *l. qui liberos 19. ff. de R. N. Nov. 115. c. 3. §. 11.* Verum cum pluribus de his dictum sit supra, transitum facio ad formationem. Casus, qui his absolvitur verbis. Filia volens nubere viro in patris potestate constituta, sine patris præscitu & consensu id in actum deducere non potest. Sed quid si sui Juris? Patris quoque ad sensum explorare debet. Si vero sui Juris patris auxilio destituta & 25. annis minor? Matris & propinquorum requirat arbitrium. Si Patre & Matre orbata & cultu verecundiæ voluntatem suam non declarat, cui melius jungatur Judici deliberandum permissum est. Ex his quæ Theodoro P. P. observanda venere, hæc sunt.

1. Patris consensus in nuptiis filia in potestate positæ præcise requiratur.
2. Adeo ut etiam Patris ad sensum, in nuptiis filia potestate solutæ, si ea minor 25. annis sit, exploretur.

3. Matris

3. *Matri vero consensus in nuptiis filia secundario tantum requiratur.*
4. *Ita ut si Pater & Mater in elocanda filia dissentiant Patris voluntas materna praeferatur.*
5. *Patre vero mortuo, quod à filia 25. annis minore, nuptura, iudicium Matris & propinquorum sit requirendum.*
6. *Quibus invicem dissentientibus si aere voluntatem suam expromere & recundante, Magistratus sit arbitrari.*
7. *Cæterorum cognatorum vel affinium consensus vel dissensus in Contrahendis nuptiis nulla ratio habetur.*

MANTISSÆ.

1. *Persona diversa Religionis conjungi possunt.*
2. *In sponsalibus geminis nonnunquam priora, nonnunquam posteriora rata habentur.*
3. *Promissiones vi metue extorta nunquam obstringunt.*
4. *Sponsalia jocosè contracta non ligant.*
5. *Nec ab Ebrio contracta valida sunt.*

Ad Clarissimum Dn. Candidatum EHRENFRIID à LANCKISCH.

*C*ultores Themidis alacres si scire cupido est,
 Non opus est vadas urbis per mœnia nostra:
 Invisas tantum cathedram, spectabis amicam
 Musarum, Lanckilch, sibi qui per scripta parabis
 Eximiam laudem, ac pulchram, ob bene gesta, coronam,
 Consensu patrum Themidis, bona portio Pœbi,
 Exciperis, Lanckilch, sibi fausta ego cuncta precatus,
 Gratulor ex animo, Deus addat robora votis.

Benevolo affectu scrib.

*Fridericus Deckherr, D. Pand.
Prof. Ordin.*

Nobilis.

NOBILISSIME AC PRÆCELLENS

Domine Candidate, Fautor ac Amice
honoratissime.

Postulas, sibi quam solent amici
Passim scribere mutuo Campanam.
Rectè; nec dubii subesse quicquam
Potest, quin habeas in hoc paratum
Me, nam pristina maxime recurrit
In mentem pietas amoris. Ergo
Habeto quod aves, Amice carmen
Non quidem nitidum satisve pulchrum,
Sincerum tamen, ut vel hoc amico
Sit satis. Scilicet auguror problema
Ut pulchrè thalamos inire monstrat.
Quis primò levis obstitisset error?
Sic & Te pariter labore functum
Solenni thalamum subire ritu.
Quidni? verum id adhuc relinquo satis
His quæ prospicient. Eoque tantum
Ut cedant benè, quos subibis, ausus
Frequenti gravium virum coronâ,
Imis jam voveo Tibi medullis.

Georg. Rudolph. Dresd M J. D

Sic verum profers molimina docta Cathedra,
Germane, & ternis ista probas visibus?
Approbat hæc Mater, clara Argentina, Heliconis:
Laudant Boecclerus, Rebbani, q̄ palam,
Lumina Castalidum: Quos splendida Fama perennat,
A quibus emanant Commoda grati tibi.
Nec non Deckherrus, qui premia prebet honoris,
Et facit utq; tibi, gratulet, utq; mihi,
Et Patria de te: Cujus tu commoda quare,
Teq; adjuuge Tuis non remorante pede.
Hoc faustum velit esse DEUS! qui dirigit omne,
His quoq; pro voto dirigat acta tua.

Strassburg, Diss., 1665-66

f

ULB Halle 3
003 745 031


TA → OL

nur 5 Bisher verknüpft

WOM



Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



C.
ATIO
ALIS

aptis

GRATIA
ORITATE
OBILISSIMI
CONSULTO-
EGII
ARGENTINAE est

URE PRIVILEGIIS
is ritè conseqvendis
ruditorum
mittit.

â Sancti
orum
ji.
RATI,
II, ACADEMIÆ
PHI.

LXV.

410.
1665, 9a
179

10

